UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliæ Consultor, Coordinatus, Seu Omnes ...

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

29. An Cardinalibus egentibus teneatur Summus Pontifex subuenire. Et curiosum notabile adducitur de sanguinis emissione Cardinalium, id est, Cardinales ægritudine laborantes non posse sanguinis ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-76442

Visual Library

2. Verùm alij putant Cardinales poſſe in feudo ſuccedere provt alij laici nullum habentes impedimentum, quia tanta dignitas non debet eis detrimentum, ſed potiùs incrementum afferre, & ideo Cardinales in tali caſu admittunt ad ſeruiendum per ſubſtitutum, & ita docet Iaſon *lib.4.conſ.119. & lib.1.conſ.13.* Anna *ſing.70.* Syluanus *conſ.3.n.54.* Marta *de iuriſd.part.4.cent.1.caſ.97.n.5.* Dueñas *reg.* 103. *fallent.* 14. Pancirolus *conſ.111.num.2.* & alij, quibus omnibus adde Anaſtaſium Germonium *de ſacra immun.lib.3.cap.6.n.66.* & Zechium *de republ.Chriſt. tit.3.de Cardinal. n. 9. priuil.11.* aſſerunt Cardinales ſuccedere in feudis paternis, ſeu auitis. Vide etiam deciſionem Rotæ coram Eminentiſſimo & doctiſſimo Veroſpio *die 14. Ianuarij* 1616. apud Farinacium *tom.2.deciſ.703.num.6.*

RESOL. XXVII.

An Cardinales eo ipſo ſoluti ſint à patria poteſtate in his, quæ ipſis ſunt commoda, non autem vt amittant ius ſuorum hæredum?

Et an filij Familias teſtari non prohibeantur de bonis. quæ habebant, prius quam efficerentur Cardinales? Ex part.5.tr.2.Reſ,32.

§.1. Reſpondeo affirmatiuè cum Lancelloto *in Templo iud.lib.2.c.2.de Cardin.§.3.n.26.* Couarr. *cap.quia nos, n.5.de teſtam.* Laudenſi *de Cardin. part.2 q.80.* Manfredo *de Cardin.c.8.priuil.8.* Albano *de Cardin.q.42.priuil.27.* Germonio *tr.de indul.Card. §.quod tu Romanam,n.3.* Molina *de iuſt.tom.1.tract.2. diſp.229.n.8.* Azorio *tom. 2.lib.4.c.3.q. 20. priuil.11.* & Zechio *de Republ.Chriſtiana tit.3.de Cardin.n. 9. priuileg.8.* vbi ſic ait. Cardinales liberantur à patria poteſtate in his, quæ ipſis ſunt commoda, non ita tamen vt amittant ius ſuorum hæredum. Ita ille. Et reuera ſi hoc priuilegio gaudent qui à conſilio ſunt Imperatori, aut Regi, quanto magis illo gaudere debent, qui à conſilio ſunt Summo Pontifici, & ita hanc ſententiam præter Doctores citatos tenet etiã Cuchus *in inſtit.can.li.2.tit.4.n.87.* vbi ſic ait. Fruuntur quoque hoc priuilegio Cardinales quòd abſoluuntur à patria poteſtate, non tamen vt iura ſuorum hæredum amittant, ſed hactenus dumtaxat, quatenus ipſis futurum eſt commodo, hinc etiam filij familias teſtari non prohibentur de bonis, quæ habebant priùs quàm efficerentur Cardinales, vel quæ ad eos peruenerint à coniunctis ſanguine.

RESOL. XXVIII.

An Cardinales, ſi ſint in Patrimonialibus diuites, poſſint adhuc viuere de redditibus Eccleſiaſticis? Ex p. 5.tract.2.Reſ.38.

§.1. Reſpondeo affirmatiuè cum Manfredo *de Cardi.deciſ.183.* vbi ſic ait. Cardinales poſſunt viuere de redditibus Cardinalatus, & conſeruare patrimonium proprium, etiam quòd eſſet amplũ, & poſſunt in victu vti pluribus ferculis. Ita ille, & ante illum hanc quæſtionem fusè pertractauit Barbatia *de Cardinal.quæſt.6.per totam.* vbi pro negatiua ſententia adducit plures textus. Sed tandem poſt multa *nu.16.* affirmatiuæ adhæret, vbi *num.* 18. aſſerit quòd Cardinales honorabilius debent veſtire familiam ſuam, quàm faciant alij Prælati inferiores, eſt enim eorũ dignitas ampliſſima, vt viſum eſt in prima reſol. huius tractatus. Vnde rectè Germonius *de ſacra immun.lib.3.c.6.n.71.* aſſeruit, mirum non videri, ſi ad tantam dignitatis amplitudinem, grauitatem, & autoritatem retinendam vario & ſumptuoſo ornatu in veſtibus, familia & ædibus vti eos oporteat.

RESOL. XXIX.

An Cardinalibus egentibus teneatur Summus Pontifex ſubuenire?

Et curioſum, notabile adducitur de ſanguinis emiſſione Cardinalium, ideſt, Cardinales ægritudine laborantes non poſſe ſanguinis emiſſionem pati ſine ſpeciali licentia Papæ. Ex part.5.tr.2.Reſ.33.

§.1. Reſpondeo affirmatiuè cum Azorio *to.2.lib.4.c.2.q.20.* Albano *de Cardin.q.42.* Manfredo *de Cardinal.deciſ.146.* Lorichio *in Theſau.ver.Cardin. §.7.* Bagno *de Eccl.dignit.tr.11.fol.183.* Lancelloto *in Templo iudic.lib.2.c.3.§.2.n.* 21. Martino Laudenſi *de Card.q.6.* & aliis communiter, caput enim membris ſuis indigentibus ſuccurrit. Vnde, vt obſeruat Cucchus *in inſtit.Can.lib.2.tit.4. num.132.* non defuerunt qui opinati ſunt Cardinalibus indigentibus fiſci Apoſtolici redditus communicandos eſſe. Et ita tenet Dominicus *in c.vbi periculum, de elect. in 6.* & Laudenſis *de Card.q.27.* & reuera ſi D. Paulus *ad Epheſ.* 5. ait; *Nemo carnem ſuam odio habet, ſed magis nutrit, & fouet eam,* vt etiam habetur *in c.non æſtimemus 15.q.2.* ſequitur quòd Pontifices egenis Cardinalibus non ſubuenientes, contra dictum D. Pauli, carnem ſuam odio habent, neque nutriunt, & fouent eam, quod apertè probatur. Nam Cardinales dicuntur inuiſcerati Papæ, & dicuntur pars corporis Papæ, & vna perſona cum illo, vt habetur *in cap.felicis. de pœnis in 6.* & docet Barbatia *tr.de Cardin.q.12.n.6.* Manfredus *de Cardin.c.8.* Iacobatius *de Conciliis,lib.1.fol.89. col.1.lit. A,* Tuſchus *tom.1.concl.100. num.13.* Turrecremata *lib.1.de Eccleſ.c.81.* Romanus *conſ.498.nu.7.* Villadiego *de Cardin.q.2.nu.11.* & alij communiter ex qua cauſa ego puto, quod eſt valde notandum, Cardinales ægritudine laborantes, non poſſe ſanguinis miſſionem pati, ſine ſpeciali licentia Papæ, vbi poſſet commodè haberi: vt ex Hoſtienſi docet Perez *in Pentateucho fidei,tr.3.dub.3.cap. 8.n. 81.* Villadiego *de Cardin. q.5 n.13* Garzias *de nobilit.Hiſp.gl. 48.§.3.nu.* 47. Moſconius *de maieſtate militan. Eccl lib.1. p.1.c.5.* Iacobatius *vbi ſupra, fol,34.col.1. lit. A,* & Manfredus *de Card.deciſ.180.* Et reuera ſi dignitas Cardinalium tanta eſt, vt explicaui *in reſolut.* 1. & in tota ſerie huius tractatus, & ſit æqualis in omnibus, neſcio qua ratione vnus debeat abundare, & plures penuriam pati.

Sup. hoc §. pra in Reſ. 1. §. Veru ante medi verſ. [illegible] quod. [illegible] Reſ. [illegible] fine §. [illegible] rum, & [illegible] Reſol. [illegible] infra in Reſ. [illegible] tr. [illegible] poſt initiu Verſ. Hic eſt.

RESOL. XXX.

An Cardinales teneantur ſoluere decimas pro generali aliquo ſubſidio à Pontifice impoſito?

Et an Cardinalis penſionarius teneatur contribuere ad Papalem decimam pro rata penſionis? Ex part. 5. tract.2.Reſ.68.

§.1. Affirmatiuam ſententiam tenet Bellon. *tr. de ſubſidio charit. quæſt.66.* vbi contra Romanum *conſ.493.* probat quòd quando ſubſidium imponitur pro expeditione contra infideles, tenentur Cardinales ſoluere decimas, quia diſpoſitio fauorabilis comprehendit etiam Cardinales, ſed nullus maior fauor eſt, quàm fidei, vt patet ex *cap. 2. de converſ. infidel.* ergo.

2. Sed